



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Conivgio Sacerdotvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

sed autores, qui defendunt, rectè prohiberi vſu. M
 gri ſacramenti, quiq; nunc non ſolum prohibent,
 etiam vtentes integro ſacramento excommunicant,
 vi perſequuntur, non excuſamus. Iſſi viderint, quom
 do Deo rationem ſuorum conſiliorum reddiduri ſin
 Neq; ſtatim iudicandum eſt, Eccleſiam conſtituere
 probare, quidquid Pontifices conſtituunt, præſer
 tîm Scriptura de Episcopis & paſtorib. vaticinetur
 hanc ſententiã, vt Ezechiel ait: Peribit lex à ſacerdot

DE CONIVGIO SAC CERDOTVM.

IN tanta infamia inquinati cœlibatus, audent adu
 ſarij non ſolum defendere legem Pontificiam impi
 & falſo prætextu nominis diuini, ſed etiam hort
 Cæſarem ac Principes, ne tolerant coniugia ſacerdo
 tum ad ignominiam & infamiam Romani Imperij, S
 enim loquuntur. Quæ maior impudentia vnquam
 in hiſtoria lecta eſt, quàm hæc eſt aduerſariorum? Ne
 argumenta, quibus vtuntur, poſtea recenſebimus. N
 hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant
 nihili homines, qui dicunt, coniugia parere infamiam
 & ignominiam Imperio, quaſi verò Eccleſiam valde
 net iſta publica infamia flagitioſarum ac prodigioſa
 libidinum, quæ flagrant apud iſtos S. Patres, qui Con
 ſos ſimulant, & bacchanalia viuunt. Ac plæraque ne
 recundè quidem nominari queunt, quæ iſti ſumma
 centia faciunt. Et hæc ſuas libidines caſtiſſima dext
 tua, Carole Cæſar, (quem etiam vetera quædam va
 cinia appellant regem pudica facie: De te enim dictu
 apparet: Pudicus facie regnabit vbiq;) propugn
 poſtulant. Poſtulant, vt contra Ius diuinum, contra
 gentium, contra Canones conciliorum diſſipes ma
 monia, vt in homines innocentes tantum propo
 con

coniugium atrocia supplicia constituas, vt Sacerdotes trucides, quibus religiosè parcunt etiam barbari, vt in exilium agas extorres mulieres, orbos pueros. Tales leges tibi ferunt, optime & castissime Imperator, quas nulla barbaria, quamlibet immanis ac fera possit audire, Sed quia nulla cadit in hos tuos mores vel turpitudine, vel sæuitia, speramus, te & in hac causa clementer nobiscum acturum esse, præsertim vbi cognoueris, nos grauissimas habere causas nostræ sententiæ, sumtas ex verbo Dei, cui aduersarij nugacissimas & vanissimas persuasiones opponunt. Et tamen non tuentur serio cœlibatum. Neq; enim ignorant, quàm pauci præstent castitatem, sed prætexunt speciè religionis regno suo, cui prodesse cœlibatum putant, vt intelligamus Petrũ rectè monuisse, futurum vt pseudoprophetæ fictis verbis decipiant homines. Nihil enim verè, simpliciter & candidè in hac tota causa dicunt, scribunt, aut agunt aduersarij, sed re ipsa dimicant de dominatione, quam falsò putant periclitari, & hanc impio prætextu pietatis munire conantur.

Nos hanc legem de cœlibatu, quam defendunt aduersarij, ideo non possumus approbare, quia cum Iure diuino & naturali pugnat, & ab ipsis Canonib. conciliorum dissentit, Et constat, supersticiosam & periculosam esse. Parit enim infinita scandala, peccata, & corruptelam publicorum morum. Aliæ controuersie nostræ aliquam disputationem doctorum desiderant. In hac ita manifesta res est, in vtraq; parte, vt nullam requirat disputationem. Tantùm requirit iudicè virum bonum & timentem Dei. Et cum defendatur à nobis manifesta veritas, tamen aduersarij calumnias quasdam architectati sunt, ad cauillanda argumenta nostra.

Primum. Genesis docet, homines conditos esse, vt sint fœcundi, & sexus recta ratione sexum appetat. Loquimur enim non de concupiscentia, quæ peccatũ est

sed

sed de illo appetitu, qui in integra natura futurus est quem vocant *σπυλὸ φροντὸν*. Et hæc *σπυλὸν* est verè ordinatio diuina sexus ad sexum. Cùm autem hæc ordinatio Dei sine singulari opere Dei tolli non possit. Sequitur ius contrahendi matrimonij non posse tolli a statutis, aut votis. Hæc cauillantur aduersarij, dicunt in initio fuisse mandatum, vt repleretur terra, nunc replenda terra non esse mandatum coniugium. Videte, quomodo imprudenter iudicent. Natura hominum formatur a verbo Dei, vt sit fœcunda, non solum in initio creationis, sed tantisper, dum hæc corporum natura existet. Sicut hoc verbo terra fit fœcunda: Germinet terra herbas viuentem. Propter hanc ordinationem, non solum in initio coepit terra producere gramina, sed quotannis reficiuntur agri, donec existet hæc natura. Sicut igitur legibus humanis, non potest natura terræ mutari: neque a votis, neque a lege humana potest natura hominum mutari, sine speciali opere Dei.

Secundò. Et quia hæc creatio, seu ordinatio diuina in homine, est ius naturale, ideo sapienter & rectè dixerunt Iurisconsulti, coniunctionem maris & foeminae esse iuris naturalis. Cùm autem ius naturale sit immutabile, necesse est semper manere ius contrahendi coniugij. Nam vbi natura non mutatur, necesse est, & illa ordinationem manere, quam Deus indidit naturæ, non potest legibus humanis tolli. Ridiculù igitur est, quod aduersarij nugantur, in initio fuisse mandatum coniugium, nunc non esse. Hoc perinde est, ac si dicerent: Olim nascentes homines secum attulerunt sexum, nunc non afferunt. Olim secum attulerunt ius naturæ nascentes, nunc non afferunt. Nullus Faber fabriliter cogitare quidquam posset, quàm hæc ineptiæ excitata sunt, ad eludendum ius naturæ. Maneat igitur hoc in causa, quod & Scriptura docet, & Iurisconsultus sapienter dixit: coniunctionem maris & foeminae

næ d

na esse iuris naturalis. Porro ius naturale verè est ius diuinum, quia est ordinatio diuinitus impressa naturæ. Quia autem hoc ius mutari non potest, sine singulari opere Dei, necesse est manere ius contrahendi coniugij, quia ille naturalis appetitus, est ordinatio Dei in natura sexus ad sexû, & propterea ius est, alioqui quare vterq; sexus conderetur? Et loquimur, vt supra dictum est, non de concupiscentia, quæ peccatum est, sed de illo appetitu, quem vocant *σεξυλὸν φωνικὸν*, quem concupiscentia non sustulit ex natura, sed accendit, vt nunc remedio magis opus habeat, & coniugium non solum procreationis causa necessarium sit, sed etiam remedij causa. Hæc sunt perspicua, & adeò firma, vt nullo modo labefactari queant.

Tertiò. Paulus ait: Propter fornicationem vnusquisq; habeat vxorem suam. Hoc iam expressum mandatum est, ad omnes pertinens, qui non sunt idonei ad cœlibatû. Aduersarij iubet sibi ostendi præceptû, quod præcipit Sacerdotibus vxores ducere, quasi Sacerdotes nõ sint homines. Nos quæ de natura hominû in genere disputamus, pfectò etiã ad sacerdotes pertinere iudicamus. An non præcipit hæc Paulus, vt ducant vxorem isti, qui non habent donû continentia? Interpretatur enim se ipse paulò post, cum ait: Melius est nubere, quàm vri. Et Christus clarè dixit: Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, quia nunc post peccatû concurrunt hæc duo, naturalis appetitus & concupiscentia, quæ inflamant naturalem appetitum, vt iam magis opus sit coniugio, quàm in natura integra. Ideò Paulus de coniugio tanquã de remedio loquitur, & propter illa incedia iubet nubere, Neq; hanc vocem, Melius est nubere, quàm vri, vlla humana autoritas, vlla lex, vlla vota tollere possunt, quia hæc non tollunt naturã aut concupiscentiã. Retinent igitur ius ducendi, omnes qui vruntur. Et tenentur hoc mandato Pauli, propter fornicationem

tionem

tionem vnusquisq; habeat vxorem suam, omnes
 non verè continent, de qua re iudicium ad conscientiam
 cuiusq; pertinet. Nam quòd hìc iubent petere à Deo
 continentiam, iubent corpus laboribus & inedia con-
 ficere, cur sibi quoq; non canunt hæc magnifica præ-
 cepta? Sed vt supra diximus, Tantùm ludunt aduer-
 rij, nihil agunt serio. Si continentia esset omnibus pro-
 hibita, non requireret peculiare donum. At Christus
 ostendit, eam peculiari dono opus habere, quare non
 contingit omnibus, Reliquos vult Deus vti communi
 lege naturæ, quam instituit, Non enim vult Deus con-
 temni suas ordinationes, suas creaturas. Ita vult illos
 castos esse, vt remedio diuinitus proposito vtantur, sicut
 ut ita vult vitam nostram alere, si cibo, si potu vtamus.
 Et Gerson testatur, multos fuisse bonos viros, qui con-
 nati domare corpus, tamen parum profecerunt. Ideo
 rectè ait Ambrosius: Sola virginitas est, quæ suadere
 potest, imperari non potest, res magis voti, quàm præ-
 cepti est. Si quis hìc obiecerit, Christum laudare hos, qui
 se castrant propter regnũ cœlorum, is hoc quoq; con-
 sideret, quòd tales laudat, qui donum continentie ha-
 bent. Ideo enim addidit: Qui potest capere, capiat. Non
 enim placet Christo immunda continentia. Laudamus
 & nos veram continentiam, Sed nuac de lege disputa-
 mus, & de his, qui non habent donum continentie. Res
 debebat relinqui libera, non debebant injici laquei in-
 becillibus per hanc legem.

Quartò. Dissentit lex Pontificia & à Canonibus con-
 ciliarum. Nam veteres Canones non prohibent con-
 iugium, nec contracta coniugia dissolunt, etsi hos,
 in ministerio contraxerunt, remouet ab administrati-
 one, Hæc missio istis temporibus beneficij loco est.
 Sed noui Canones, qui non sunt in Synodis con-
 diti, sed priuato consilio Pontificum facti, & prohibet con-
 trahere matrimonia, & contracta dissolunt, Idem

palam est, fieri contra mandatum Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Aduersarij vociferantur in confutatione, cœlibatum præceptum esse à concilijs. Nos non accusamus decreta conciliorum, Nam hæc certa conditione permittunt coniugium, sed accusamus leges, quas post veteres Synodos Romani Pontifices cōtra autoritatem Synodorum condiderunt. Adeo Pontifices contemnunt autoritatem Synodorum, quam alijs volunt videri sacrosanctam. Propria igitur est hæc lex de perpetuo cœlibatu, huius nouæ Pontificiæ dominationis. Neq; id abs re. Daniel enim tribuit hanc notam regno Antichristi, videlicet contemptum mulierum.

Quintò. Etsi aduersarij non defendunt legem superstitionis causa, cū videant non solere obseruari, tamen supersticiosas opiniones serunt, dum prætexunt religionem. Cœlibatum ideò prædicant se requirere, quòd sit mundicies, quasi coniugium sit immundicies, ac peccatum, aut quasi cœlibatus magis mereatur iustificationē, quàm coniugium. Et huc allegāt ceremonias legis Mosaicæ, q̄ cū in lege, tempore ministerij sacerdotes separati fuerint ab vxoribus, in nouo testamento sacerdos, cū semper orare debeat, semper debeat continere. Hæc inepta similitudo allegatur tanquam demonstratio, quæ cogat sacerdotes ad perpetuum cœlibatum, cū quidem in ipsa similitudine coniugium concedatur, tantū ministerij tempore consuetudo interdicitur. Et aliud est orare, aliud ministrare. Orabant Sancti tunc quoque, cū non exercebant publicum ministerium, nec consuetudo cum coniuge prohibebat, ne orarent. Sed respondebimus ordine ad hæc figmenta. Primū hoc fateri necesse est aduersarios, quòd coniugium sit mundum in credentibus, quia est sanctificatum verbo Dei, hoc est, est res licita & approbata verbo Dei, sicut copiosè testatur

Q

Scriptu-

Scriptura. Christus enim vocat coniugium con-
 stionem diuinam, cum ait: Quos Deus coniunxit.
 Paulus de coniugio, de cibis, & similibus rebus inquit.
 Sanctificantur per verbum & orationem, hoc est, per
 verbum, quo conscientia fit certa, quod Deus appro-
 bet, & per orationem, hoc est, per fidem, quæ eum gen-
 tiarum actione tanquam dono Dei vitur. Item 1. Co-
 rinth. 7. Sanctificatur vir infidelis per uxorem fidelem
 &c. id est, vsus coniugalis licitus & sanctus est, pro-
 pter fidem in Christum, sicut licitum est vti cibo, &c.
 Item 1. Timoth. 2. Saluatur mulier per filiorum gene-
 rationem, &c. Si talem locum aduersarij de coelibatu
 proferre possent, tum verò inuiros triumphos agerent.
 Paulus dicit, saluari mulierem per filiorum genera-
 tionem. Quid potuit dici contra hypocrisis coelibatu
 honorificentius? quàm mulierem saluari ipsis coniu-
 galibus operibus, vsu coniugali, pariendo, & reliquis
 Oeconomicis officijs. Quid autem sentit Paulus? Le-
 ctor obseruet addi fidem, nec laudari officia Oecon-
 mica, sine fide, si manserint, inquit, in fide. Loquitur
 enim de toto genere matrum. Requirit igitur præcipue
 fidem, qua mulier accipit remissionem peccatorum &
 iustificationem. Deinde addit certum opus vocationis
 sicut in singulis hominibus fidem sequi debet bonum
 opus certæ vocationis. Id opus placet Deo propter
 fidem. Ita mulieris officia placent Deo propter fidem
 & saluatur mulier fidelis, quæ in talibus officijs voca-
 tionis suæ piè seruit. Hæc testimonia docent, coniugium
 rem licitam esse. Si igitur mundities significat
 quod coram Deo licitum & approbatum est, Coniugia
 sunt munda, quia sunt approbata verbo Dei. Paulus
 ait, de rebus licitis: Omnia munda mundi sunt, hoc
 est, his qui credunt Christo, & fide iusti sunt. Ita
 vt virginitas in impijs est immunda, ita coniugium in
 impijs est mundum propter verbum Dei, & fidem.

Dendo

Deinde. Si mundicies propriè opponitur concupiscentiæ, significat mundiciè cordis, hoc est, mortificatam concupiscentiam, quia lex non prohibet coniugium, sed concupiscentiam, adulterium, scortationem. Quare cœlibatus non est mundicies. Potest enim esse maior mundicies cordis in coniuge, velut in Abraham, aut Jacob, quàm in plerisq; etiam verè continentibus.

Postremò. Si ita intelligunt cœlibatum mundiciem esse, quòd mereatur iustificationem magis, quàm coniugium, maximè reclamamus. Iustificamur enim neq; propter virginitatem, neq; propter coniugium, sed gratis propter Christum, cum credimus, nos propter eum habere Deum propitium. Hæc exclamabunt fortassis, Ioviniani more æquari coniugiū virginitati, Sed propter hæc conuitia non abijciemus veritatem de iustitia fidei, quàm supra exposuimus. Neq; tamen æquamus coniugio virginitatem. Sicut enim donum dono præstat, Prophetia præstat eloquentiæ, Scientia rei militaris præstat agriculturæ, Eloquentia præstat architectonicæ: ita virginitas donum est præstantius coniugio. Et tamen sicut Orator non est magis iustus coram Deo propter eloquentiam, quàm Architectus propter Architectonicam, ita virgo non magis mereatur iustificationem virginitate, quàm coniunx conjugilibus officijs, sed vniquisque in suo dono fideliter seruire debet, ac sentire, quòd propter Christum fide consequatur remissionem peccatorum, & fide iustus coram Deo reputetur.

Nec Christus aut Paulus laudant virginitatem, idèò q̄ iustificet, sed quia sit expeditior, & minùs distrahat domesticis occupationibus in orando, docendo, seruiendo. Idèò Paulus ait: Virgo curat ea, quæ sunt Domini. Laudatur igitur virginitas propter meditationem & studium. Sic Christus non simpliciter laudat hos, qui se castrant, sed addit, propter regnum

cœlorum, hoc est, vt discere aut docere Euangelium vacet. Non enim dicit, virginitatem mereri remissionem peccatorum aut salutem. Ad exempla Sacerdotum Leuiticorum respondimus, quod non efficitur oportere perpetuum cœlibatum imponi sacerdotibus. Deinde immunditiæ Leuiticæ non sunt ad transferendam. Consuetudo contra legem tunc est immunditia, Nunc non est immunditia, quia Paulus dicit: Omnia munda mundis. Liberat enim hos Evangelium ab illis immunditijs Leuiticis. Ac si hoc consilio legem cœlibatus defendit, vt illis obligationibus Leuiticis grauet conscientias, huic perinde aduersandum est, vt Apostoli in Actis cap. 15. aduersantur his, qui circumcisionem requirebant, & legem Moysi Christianis imponere conabantur. Interim tamen boni scient moderari vsum coniugalem, præsertim cum sunt occupati publicis ministerijs, quæ quidem sæpe tantum faciunt negocij bonis viris, vt omnes domesticas cogitationes animis excutiant. Sciunt boni & hoc, quod Paulus iubet vasa possidere in sanctificatione. Sciunt item, quod interdum secedendum est vt vacent orationi, sed Paulus hoc ipsum non vult esse perpetuum. Iam talis continentia facilis est bonis occupatis, sed illa magna turba ociosorum sacerdotum quæ in collegijs est, in his delicijs, ne quidem hanc Leuiticam continentiam præstare potest, vt res ostendit. Et nota sunt poemata: Desidiam puer ille sequi solet odit agentes, &c.

Multi hæretici malè intellecta lege Moysi, contra meliosè de coniugio senserunt, quibus tamen peperit singularem admirationem cœlibatus. Et Epiphanius queritur, Encratitas hac commendatione præcipue cepisse imperitorum animos. Hi abstinebant a vino etiam in cœna Domini, abstinebant à carnibus omnium animantium, qua in re superabant fratres Domini qui piscibus vescuntur. Abstinebant & à coniugio

sed hæc res præcipuam admirationem habuit. Hæc opera, hos cultus sentiebant magis mereri gratiam, quam vsum vini & carniū, & quam coniugium, quod videbatur res esse prophana & immunda, & quæ vix posset placere Deo, etiamsi non in totum damnaretur. Has religiones Angelorum Paulus ad Colossenses valde improbat. Opprimunt enim cognitionem Christi, cum lentiunt homines, se mundos ac iustos esse, propter talem hypocrisim, opprimunt & cognitionem donorum & præceptorum Dei. Vult enim Deus nos piè uti donis suis. Ac nos exempla commemorare possemus, vbi valde perturbatæ sunt piæ quædam conscientiæ, propter legitimum vsum coniugij. Id malum erat natum ex opinionibus Monachorum superstitiosè laudantium cœlibatum. Neq; tamen temperantiam aut continentiam vituperamus, sed supra diximus, exercitia & castigationes corporis necessaria esse. Fiduciã verò iustitiæ detrahimus certis obseruationibus. Et eleganter dixit Epiphanius, obseruatione illas laudandas esse, *διὰ τὴν ἐγκράτειαν, ἢ διὰ τὴν πολιτείαν*, hoc est, ad coercendum corpus, aut propter publicos mores, sicut sunt instituti quidam ritus, ad commonefaciendos imperitos, non quod sint cultus iustificantes.

Sed aduersarij nostri nõ requirunt cœlibatũ per superstitionẽ. Sciunt enim nõ solere præstari castitatem. Verũm prætexũt superstitiosas opiniones, vt imperitis fucum faciant. Magis igitur odio digni sunt, quam Encratitæ, qui quadã specie religionis lapsi videntur, illi Sardanapali consulto abutuntur prætextu religionis.

Sexto. Cũ habeamus tot causas improbandæ legis de perpetuo cœlibatu, tamen præter hæc accedunt etiam pericula animarum, & publica scandala, quæ etiamsi lex non esset iniustã, tamen absterrere bonos viros debent, ne approbent tale onus, quod inaume-

rabiles animas perdidit. Diu omnes boni viri de honore questi sunt, vel sua, vel aliorum causa, quos periclitari videbant, sed has querelas nulli Pontifices audiunt. Neque obscurum est, quantum hæc lex nocet publicis moribus, quæ vitia, quàm flagitiosas libidines pepererit. Extant Romanæ Satyræ, In his etiam agnoscitur mores Roma, legiturq; suos. Sic vitiosus Deus contemptum sui doni, suæq; ordinationis, in illis qui coniugium prohibet. Cùm autem hoc fieri in aliis legibus consueverit, vt mutantur, si id euidens vitium suaserit, cur idem non fit in hac lege, in qua tot graues causæ concurrunt, præsertim his postremis temporibus, cur mutari debeat? Natura senescit, & fit paulatim debilior, & crescunt vitia, quò magis remedia diuinitus tradita adhibenda erant. Videmus, quòd vitium accuset Deus ante diluuium, quòd accuset ante conflagrationem quinque urbium. Similia vitia præcesserunt excidia altarum urbium multarum, vt Sybaris, Romæ. Et in his imago temporum proposita est, quæ proxima erunt rerum fini. Ideò in primis oportuit hoc tempore seuerissimis legibus atq; exemplum munire coniugium, & ad coniugium inuitare homines. Id ad magistratus pertinet, qui debent publicam disciplinam tueri. Interim doctores Euangelij vtuntur, faciunt, hortentur ad coniugium incontinentes, hortentur alios, vt donum continentia non aspiciant. Pontifices quotidie dispensant, quotidie mutant alias leges optimas, in hac vna lege cœlibatus, ferreæ inexorabiles sunt, cùm quidē constet, eam simplicitati humani iuris esse. Et hanc ipsam legem nunc exaccabant multis modis. Canon iubet suspendere sacerdotes, isti parum commodi interpretes, suspendunt non ab officio, sed ab arboribus. Multos bonos viros crudeliter occidunt, tantum propter cōiugium. Atq; hæc ipsa parricidia ostendunt, hanc legem doctrinam esse

Dæmoniorum. Nam Diabolus, cum sit homicida, legem suam defendit his parricidijs. Scimus aliquid offensionis esse in Schismate, quod videmur diuulsi ab his, qui existimantur esse ordinarij Episcopi, Sed nostræ conscientiæ tutissima sunt, postquam scimus, nos summo studio concordiam constituere cupientes, non posse placare aduersarios, nisi manifestam veritatem projiciamus, deinde nisi cum ipsis conspiremus, quod velimus hanc iniustam legem defendere, cõtracta matrimonia dissoluere, interficere sacerdotes, si qui non obtemperent, in exilium agere miseræ mulieres atq; orbos pueros. Cùm autem certum sit, has conditiones Deo displicere, nihil doleamus nos non habere *αυμαχία* tot parricidiorum cum aduersarijs.

Expouimus causas, quare non possimus bona conscientia assentiri aduersarijs, legem Pontificiam de perpetuo cœlibatu defendentibus, quia pugnet cum iure diuino, & naturali, ac dissentiat ab ipsis Canonibus, & sit superstitiosa, & plena periculi. Postremò, quia tota res sit simulata. Non enim imperatur lex religionis causa, sed dominationis causa, & huic impiè prætextitur religio. Neq; quidquam à sanis hominibus, contra has firmissimas rationes afferri potest. Euangelium permittit coniugium his, quibus opus est. Neq; tamen hos cogit ad coniugium, qui continere volunt, modò vt verè contineant. Hanc libertatem & sacerdotibus cõcedendam esse sentimus, nec volumus quenquã vi cogere ad cœlibatũ, nec cõtracta matrimonia dissoluere.

Obiter etiam, dum recensuimus argumenta nostra, indicauimus, quomodo aduersarij vnum atq; alterum cauillentur, & calumnias illas diluimus. Nunc breuissimè commemorabimus, quàm grauib; rationibus defendant legem. Primum dicunt à Deo reuelatã esse. Videris extremam impudentiam istorum nebulonum. Audent affirmare, quod diuinitus reuelata sit lex

de perpetuo cœlibatu, cum aduersetur manifestis Scripturæ testimonijs, quæ iubent, ut vnusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem. Item, quæ tantum dissoluere contracta matrimonia. Paulus admonet, quem autorem habitura fuerit ista lex, cum vocet eam doctrinam dæmoniorum. Et fructus indicant autorem, tot monstruosa libidines, tot parricidia, quæ nunc suscipiuntur prætextu illius legis.

Secundum argumentum aduersariorum est, quod sacerdotes debeant esse mundi, iuxta illud: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Et citant in hanc sententiam multa. Hanc rationem, quam ostentant velut maximam *ἐν παρθένω*, supra diluimus. Diximus enim, virginitatem sine fide non esse mundiciem coram Deo. Et coniugium propter fidem mundum esse, iuxta illud: Omnia munda mundis. Diximus & hoc, externas mundicie & ceremonias legis non esse huc transferendas, quæ Euangelium requirit mundiciem cordis, non requirit ceremonias legis. Et fieri potest, ut cor mariti velut Abrahamæ, aut Iacob, qui fuerunt *πολύγαμοι*, mundus sit & minus ardeat cupiditatibus, quam multarum virginum, etiam verè continentium. Quod verò Esaias ait Mundamini, qui fertis vasa Domini, intelligi debet mundicie cordis, de tota poenitentia. Cæterum Sancti in externo vsu, scient, quatenus conducant moderatissimum coniugalem, & ut Paulus ait, possidere vasa in sanctificatione. Postremò, cum coniugium sit mundum rectè dicitur his, qui in cœlibatu non continent, ut dicant uxores, ut sint mundi. Ita eadem lex, Mundamini, qui fertis vasa Domini, præcipit, ut immundi cœlibatiant mundi coniuges.

Tertium argumentum horribile est, quod sit hæresis Iouiniani, coniugium Sacerdotum: bona verba. Notandum hoc crimen est, coniugium esse hæresin. Iouiniano tempore nondum norat mundus legem de perpetuo

cœlibat

cœlibatu. Impudens igitur mendacium est, coniugium
 sacerdotum, Iouiniani hæresis esse, aut ab Ecclesia tunc
 id coniugium damnatum esse. In huiusmodi locis est
 videre, quid consilij habuerint aduersarij in scribenda
 confutatione. Iudicauerunt, ita facillimè moueri impe-
 ritos, si crebrò audiant conuictum hæresis, si fingant,
 nostram causam multis antè iudicijs Ecclesiæ confos-
 sam & damnatam esse. Itaq; sæpè falsò allegant Eccle-
 siæ iudicium. Id quia non ignorant, exhibere nobis ex-
 emplum Apologiæ noluerunt, ne hæc vanitas, ne hæ-
 calaniæ coargui possent. Quòd verò ad Iouiniani cau-
 sam attinet, de collatione virginitatis & coniugij, supra
 diximus, quid sentiamus. Non enim æquamus coniu-
 gium & virginitatem, etsi neq; virginitas, neq; coniu-
 gium meretur iustificationem. Talibus argumentis tam
 vanis, defendunt legem impiam, & perniciosam bonis
 moribus. Talibus rationibus muniunt Principum ani-
 mos aduersus iudicium Dei, in quo Deus reposect ra-
 tionem, cur dissipauerint coniugia, cur cruciauerint,
 cur interfecerint Sacerdotes. Nolite enim dubitare,
 quin, ut sanguis Abel mortui clamabat, ita clamat etiã
 sanguis multorum bonorum virorum, in quos iniuste
 scuitum est. Et vlciscetur hanc scuitiam Deus, Ibi com-
 perietis, quàm sint inanes hæ rationes aduersariorum,
 & intelligetis, in iudicio Dei nullas calumnias aduer-
 sus verbum Dei consistere, vt ait Esaias: Omnis caro
 scenũ, & omnis gloria eius quasi flos sceni. Nostri Prin-
 cipes, quidquid acciderit, consolari se conscientia re-
 ctorũ consiliorum poterunt, quia etiã si quid Sacer-
 dotes in contrahendis coniugijs mali fecissent, tamen
 illa dissipatio coniugiorum, illæ proscriptiones, illa læ-
 uitia manifestè aduersatur voluntati & verbo Dei. Nec
 delectat nostros Principes nouitas aut dissidium, sed
 magis fuit habenda ratio verbi Dei, præsertim in causa
 non dubia, quàm aliarum rerum omnium.